

eadem fide, industria, ac pietate, mandato muneri praecero, praesenti insuper anno secundum natalium Gymnasii nostri seculare jubileum celebraturus,

---

NATHANAEL GOTTLOB DOSSE

STARGARDIA POL. BORVSS.

**N**atus est A. MDCCXLIV. parentibus honestis, Sigismundo Dosse, laudati oppidi Consule, et Anna e gente Thielia. Initia discendi fecit in gymnasio Thorunensi ab A. LIX. ad A. LXV. septennio igitur integro, in scholis Professorum Jetzii, Kriesii, Centneri, Willamovii, Nezkeri denique. Mox deinceps ad Gymnasium Gedanense transiit, ibique ab A. LXV. ad A. LXXI. in disciplinam se dedit Bertlingii, Hanouii, Gralathi, Wernsdorfii, Grodeckii, atque Sendelii, Professorum, quorum gratissima memoria institutionem et fidem, amoremque in se, recolit. Anno LXXI. huic litterarum Vniuersitati nostrae nomen dedit, humanioribus primum litteris, Theologiae deinceps operam daturus. Doctoribus hic usus est Crusio, Bahrtdio, Ernestio, Burschero, Moro, Platnero, Wenkio, Pezoldo, item Dresdio; quibus habet agitque gratias, redditurus, si quando eueniat vt possit. Ita laudabiliter exacto quadriennio, rite tentatus, honores philosophicos, cum primum petisset, tabula e valuis publicis proposita, anno proxime praeterito obtinuit.

IOANNES AVGVSTUS KRETSCHMAR

KRETSCHWA MISNICVS.

**H**uius pater, Christianus Augustus, hoc vico, propter Cizam, ludi moderator, suscepit hunc filium e coniuge, nata Gellertia, anno Seculi ~~LXIII~~ <sup>LXIII</sup>, puerumque ipse instituit, docuitque prima litterarum elementa; mox adolescenti, quem videret ad mathematicum et physices studia incendi, etiam haec tradere tentavit. Cizam subinde missus, profecit praeceptoribus Schregero, Reicharto, Hentschio. Lipsiam venit anno LXVIII, rectore Crusio, estque beneficiis con-

sanguis.